

(...)

SY. Di tibi, Demea, omnia omnes semper optata offerant! 978

MI. Syre, processisti hodie pulcre. **DE.** Siquidem porro, Micio, hi tuom officium facies, atque huic aliquid paulum prae manu dederis, unde utatur: reddet tibi cito. **MI.** Istoc uilius.

AE. Frugi homost. **SY.** Reddam hercle, da modo. **AE.** Age, pater! **MI.** Post consulam.

DE. Faciet. **SY.** O uir optume! **AE.** O pater mi festiuissume!

MI. Quid istuc? quae res tam repente mores mutauit tuos quod prolubium? quae istaec subitast largitas? **DE.** Dicam tibi: ut id ostenderem, quod te isti facilem et festiuom putant, id non fieri ex uera uita neque adeo ex aequo et bono, sed ex adsentando indulgendo et largiendo, Micio.

nunc adeo si ob eam rem uobis mea uita inuisa, Aeschine, est, quia non iusta iniusta prorsus omnia omnino obsequor, missam facio: ecfundite, emite, facite quod uobis lubet.

sed si id uoltis potius, quae uos propter adulescentiam minus uidetis, magis inpanse cupitis, consulitis parum, haec reprehendere et corrigere quem, obsecundare in loco:

ecce me qui id faciam uobis. **AE.** Tibi, pater, permittimus:

plus scis quod opus factost. sed de fratre quid fiet? **DE.** Sino:

habeat; in istac finem faciat. **MI.** Istuc recte. **CANTOR.** Plaudite. 997

(Ende)